

do, dico teneri servare morem Ecclesiæ a qua discessit, non illius ad quam divertit; ita quod Græcus apud nos celebret in fermentato, et Latinus apud Græcos in azymo. Licet enim peregrini teneantur servare præcepta et consuetudines loci, in quo inveniuntur, ut in festis et jejuniis, tamen hoc intelligitur de consuetudinibus et præceptis affectis ad ipsa loca, non ad personas, propter distinctionem et speciale signum, quo istæ Ecclesiæ ab illis distinguuntur, quatenus isti sunt Græci, et illi Latini, quia repræsentant Ecclesiæ suas, et mores seu ritus illarum. Et ita Pius V, absolute loquitur de Græcis et Latinis, non distinguendo de regionibus, seu locis ad quæ divertunt. Unde quamdiu iste manet sacerdos Græcus, et ille Latinus, ubicumque sit, tenet suum ritum servare, quia præceptum est universale, utpote a summo pontifice latum, qui omnia loca comprehendit, et afficit ipsas personas ubicumque sint. Unde cum sit absolute prolatum, præponderat consuetudinibus Ecclesiæ particularium. Si vero secundo modo se habeat Græcus, ita quod totaliter transferatur ad Latinam Ecclesiæ, scilicet, quia non se habet ut peregrinus, sed fixum domicilium habet; aut si obtinet beneficium, vel incorporatur Ecclesiæ Latinæ, tenetur illius modum servare, quia jam non est amplius sacerdos Græcus, sed transferatur in Latinum, et extat declaratio sacrae congregationis rituum 29 januarii anni 1605, ubi conceditur clericis Græcis habentibus dignitatem in Ecclesia, quæ ritum Latinum accepit, recitandi officium Latino ritu. Refertur a Barbosa in collectaneis, verbo Græci: tales quippe ratione dignitatis incorporantur illi Ecclesiæ. Supponitur ergo carere ista licentia illos qui sic incorporati non sunt.

DE MATERIA CALICIS, QUALIS SIT?

XIII. Dico quinto: Materia calicis de necessitate est vinum de vite ab uvis expressum, et in formam potabilem redactum. Sumitur ex definitione relata Eugenii IV: « Quod materia hujus sacramenti est panis triticeus, et vinum de vite. » Etidem habetur in capite Firmiter, de summa Trinitate; et in capite Sicut, eodem titulo, ubi damnatur hæresis Ebionitarum, qui in sola aqua consecabant. Ex evangelio quoque constat Christum Dominum consecrasse in vino de vite, si quidem consecrato calice dixit Matth. xxix et Marc. xiv: *Dico vobis, non bibam amodo de hoc genimine vitis, etc.* ubi hoc designat materiam quæ erat in illo calice: ergo erat vinum de vite. Licet autem per hoc exclusa maneat omnis alia materia, seu liquor non procedens a vite, quantumcumque nomine vini appellatur, quia æquivoce est vinum, tamen adhuc non constat, an omnis liquor qui ex vite procedit, sit apta materia hujus sacramenti. Primum enim ex vite fit agresta, vulgo *agraz*; secundo ex uvis maturis fit mustum: tertio transit in vinum; quarto fit lora, vulgo *aguapie*, quinto fit acetum; sexto potest vinum congelari, et amittere formam potabilem; de his

XIV. Dico sexto: Agresta non est materia sacramenti, neque liquor intra uvas maturas contentus, sed debet esse expressus, neque lora, neque acetum; est autem materia sufficiens mustum recenter expressum ab uvis, licet nondum sit purificatum; illo tamen non est utendum propter indecentiam, nisi in casu necessitatis. Prima pars probatur, quia omnia illa non sunt vinum usuale, et deserviens pro potu se-

cundum communem æstimationem hominum. Agresta enim non bibitur, nec potui deservit, nec habet speciem vini, quia ex agresta quantumcumque detineatur, non potest fieri vinum, sicut ex musto fit per solam purificationem. Similiter uvae ipsæ maturæ, licet in se contineant substantiam, quæ potest exprimi in liquorem, tamen quamdiu non exprimitur liquor, non est aliquid potabile, sed comestibile; sicut in aliis pomis continetur humor, qui exprimi posset in liquorem, et tamen quamdiu continetur in ipsis pomis, habet rationem cibi comestibilis, non liquoris potabilis. Neque est mirandum, quod per expressionem, quæ videtur esse aliquid accidentale, mutetur illa species, quia species istæ sunt valde imperfectæ, nec indigent multo apparatu dispositio- nium, sicut ignis facilime convertit materiam siccam; una autem matura fere est in ultima dispositione ad vinum; unde facile transit in illam speciem, non alia dispositione quam expressione.

XV. Quod vero lora, ut communiter fit, non sit materia sacramenti constat, quia non fit ex uvis, sed ex aqua superinjecta racemis jam expressis; unde major pars estaquæ, et solum aliquid retinet de sapore contracto ex illis racemis. Quod si aliter fieret, et concurreret minor pars aquæ, et major pars de expressione uvarum, non est lora, sed vi- num, licet tenui; et sic esset materia sacramenti, nisi maneret dubium an esset major pars aquæ, vel vini; tunc enim esset materia dubia: hac enim ratione utimur in pane, quando fit ex farina admixta aliis granis (verbi gratia hordei, vel tifæ) nam si sit tanta mixtio quod superetur triticum, non est materia sacramenti; si e converso, est materia: si vero sit dubium quæ sit major pars, est materia dubia, et non pos-

sumus illa uti, nisi pro casu neces- sitatis, si reperiatur panis azymus ex illa. Eodem modo judicandum est de musto igne decocto, quod transmutatur in aliam speciem quam vini, nec deservit potui usuali et communi. Similiter vinum aroma- tibus confectum, si in tanta copia projiciantur aromata, quod totum vinum afficiant et transmutent (quod ex colore et sapore dijudicari potest) non est materia sacramenti: et multo magis si ad hoc efficiendum igne decoquatur: si vero in parva copia aromata projiciantur, ita quod non transmutent totum vinum, li- cit aliquid saporis in illo relinquant, adhuc erit materia sacramenti, aut saltem erit materia dubia, si non possit certo sciri de quantitate co- piæ injectæ.

XVI. De aceto constat, quod si est perfectum, jam est unum cor- ruptum, et consequenter non est substantialiter vinum, nec in po- tum usualem assumitur, sed in alia ministeria; si vero non sit perfecte et consummate acetum, sed vinum acescens, id est, in via et fieri ad acetum, est materia quantum ad valorem sacramenti, quia adhuc retinet speciem et substantiam vi- ni, sed peccat conficiens in illo, ut dicit S. Thomas hic articulo quinto ad secundum; tum propter du- bietatem de corruptione vini; tum propter indecentiam, quia est in via corruptionis.

XVII. Secunda vero pars conclu- sionis probatur, quia mustum in substantia est vinum, solumque dif- fert accidentaliter a vino decocto et purificato, ut docet S. Thomas loco citato ad tertium, si quidem sine no- va generatione aut corruptione, sed per se solum purificatur in vinum, et statim assumi potest in potum; ergo est sufficiens materia conse- crationis, licet propter indecentiam et admixtionem impuritatis non

possit licite assumi ad consecrationem. In casu vero necessitatibus potest exprimi botrus in calice, et consecrari in musto, ut constat ex decretali Julii papæ in capite Cum omne crimen, de consecratione dist. II, ubi inquit: « Quod de expresso botro (id est, de uvarum granis) populus communicatur, valde est omnino confusum; sed si necesse sit, botrus in calice comprimitur et aqua misceatur. » Ubi pontifex, sicut prohibet ut in musto recenter ex botris expresso consecratur, ita concedit ut in necessitate fiat. Necessitas sufficiens erit, verbi gratia, pro communicando infirmo, vel in die festo ne populus maneat sine sacrificio, si aliud vinum reperriri non potest. Neque est simile de massa cruda, et de musto, quia massa cruda non est panis, sed indiget decoctione; mustum autem substantialiter est vinum, et in forma potabili, licet nondum sit omnibus suis accidentibus perfectum. Et de vino congelato est majus dubium, et diversitas opinionum inter auctores, an possit consecrari non solum licite, sed etiam valide.

XVIII. Dico ultimo: Si vinum non totaliter sit congelatum, et quasi crusta redditum, sed solum in aliqua superficie congeletur, est materia sacramenti; si tamen sit totaliter congelatum, et in duritiam versum, etiamsi possit calefactione liquefieri, probabilis est utraque sententia, quod possit vel non possit consecrari; probabilius tamen est quod communiter non sit consecrabile, sed sit materia dubia. Prima pars probatur, quia vinum illud ex tam parva congelatione neque amittit substantiam vini, neque formam potabilem; et facie eosdem effectus quando sumitur, atque vinum non congelatum; ergo non est cur excludatur a materia sacramenti. Secunda vero pars pro-

batur, nam pro parte affirmativa, quod sit materia sacramenti, auctoritas plurium doctorum cum Sylvestro, Soto, Angelo, Vazquez, Suarez, et alius habet fundamentum satis probabile, quia non amittit substantiam vini, si quidem facta resolutione iterum sumi potest tamquam vinum.

XIX. Nec obstat, quod quamdiu est congelatum, non sit in forma potabili; radicaliter enim et virtualiter manet potabile, quia sola resolutione facta potabile manet; non oportet autem quod quando consecratur sit in forma potabili actu et formaliter; sufficit quando sumitur: quod facile contingere potest si post consecrationem calore resolvatur. Nec est simile de liquore contento intra uvas, qui etiam facile exprimi potest; nam ibi substantialiter est diversum, cum ex ipsa natura sit factum modo comedibili in uvis; quando autem congelatur, solum accidentaliter amittit formam potabilem ex frigore constringente. Adeo quod si vinum jam consecratum congeletur, non desinit ibi esse sanguis Christi; ergo per congelationem non corrumpitur substantia vini; si enim corrumperetur, non posset ibi manere sanguis facta tali corruptione; ergo si super illud sic congelatum cadat consecratio, sacramentum fiet, quia sufficit ad consecrandum, quod habeat substantiam vini, et non sit totaliter corrupta. Antecedens vero probatur ex capite In sacramento, de consecratione dist. II, ubi dicitur: « Quod si vinum consecratum congeletur, debet liquefieri, et sumi cum reverentia, tamquam sanguis Christi; » et a simili patet in pane, qui licet durissimus reddatur, potest tamen consecrari; ergo etiam vinum licet congeletur, et durescat.

XX. Pro parte vero negativa sunt

etiam plures auctores, Ledesima, Armilla, Alanus, Nugno, et alii, habentque fundamentum, quia vinum sic congelatum amittit speciem vini, non quia vertatur in lapidem, sicut aqua nimis congelata dicitur verti in crystallum (hoc enim ex vino fieri non posse putat Vazquez) et fortasse ita est: nec nos loquimur in tali casu, sed quando vinum totaliter est congelatum, potest tamen liquefieri per calorem, et reduci in formam potabilem, quod non potest fieri si converteretur in lapidem. Quod vero vinum sic congelatum mutet speciem, ex eo sudetur, quia tam intensum frigus convertit fortitudinem vini; unde quando postea liquefit, invenitur omnino sine vigore et fortitudine, quasi aqua; ergo signum est quod amittit speciem, quia substantia vini maxime dignoscitur ex fortitudine et acrimonia, magis quam ex colore et sapore. Verum quidem est, quod si vinum sit valde forte, et gelu non sit valde intensus, aut multo tempore durans, non tam facile solvitur species vini, quia post resolutionem adhuc retinet vini saporem et acrimoniam, licet diminutam; unde fit quod facta congelatione totali non poterit consecrari propter dubietatem materiæ, de qua non potest quis certificari quoque liquefieri, et tunc constet an substantia vini fuerit corrupta, vel non. Et practice existimo nunquam esse dabilem casum, quo possit aliquis tali materia uti; nam vel instat necessitas consecrandi, vel non; si instat, debet illud vinum prius liquefieri, et tunc ex ipsa experientia dignoscitur an fuerit corruptum, vel non; si enim consecratur, necessario debet sumi a sacerdote, et non potest sumi per modum potus nisi liquefieri; ergo ante consecrationem etiam potest liquefieri, et paululum expectare donec

resolvatur: si vero non instat necessitas, non debet aliquis uti tali materia, quæ ad minus est dubia, et de certo valde indecens, cum non sit potabile.

XXI. Opposita fundamenta facile diluuntur. Ad primum respondeatur, quod licet illud vinum maneat in forma potabili virtualiter, tamen non manet sub specie vini nisi dubitanter; et ita expectandum est quod resolvatur, ut constet quam speciem retineat, et ut possit sumi a sacerdote per modum potus. Ad secundum respondeatur, non manere sanguinem Christi in vino totaliter congelato, quia solvitur illius species. Quod vero dicitur in illo textu, in primis illum non invenio in tota illa secunda distinctione, neque auctores oppositi etiam illum; tamen facilis est responsio, quod post congelationem dubium manet an totaliter corrumpantur species vini vel non, juxta diversas opiniones, et ideo debet sumi cum reverentia: et ob eamdem rationem non debet consecrari in tali materia, quia valde dubia est. Ad id vero quod dicitur de pane indurato, differentia est manifesta, quia ille panis si comedatur nutrit, et suscitent sicut panis, et sic habet eamdem substantiam, licet accidentaliter variatam; vinum vero per congelationem ita fortè nimis alteratur, et perdit fortitudinem suam, nec potest ita confortare; et sic amittit speciem, neque est consecrabile.

ARTICULUS III.

Utrum aqua infusa vino convertatur immediate in sanguinem Christi, antequam convertatur in vinum?

I. Suppono primo, aquam misceri vino non de necessitate materiæ